



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De  
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

**Schlüter, Georg**

**Augustæ Vindelicorum, 1702**

Articulus I. An soluto matrimonio priori, licitæ sint secundæ nuptiæ?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

QUÆSTIO XXI.

In Titulum XXI, De secundis Nuptiis,

**P**ostquam actum est in prioribus de divorcio, tam quoad thorum, quam conjugale vinculum, & his, quæ consequuntur; convenienter ad finem hujus libri subjungitur titulus finalis de secundis nuptiis, quas stante impedimento ligaminis constat celebrari non posse vel licite, vel valide. De iis igitur in præfens solum agimus in casu legitime soluti conjugalis vinculi, eo vel antecederet jam sublato, vel saltem novi matrimonii contractu dissolvendo, ut contingit in casu, quo infidelis ad fidem conversus, altero in perfidia remanente, is transit ad secunda vota, de quo dictum est jam in præmissis qq.

ARTICULUS I.

An soluto matrimonio priori, licite sint secunda nuptie?

**1806.** Resp. jure civili olim, intra annum luctus, secundas nuptias fuisse prohibitas, & illicitas; colligitur ex tot poenis illo jure statutis (L. 1. C. de secundis nupt.) in mulierem intra annum luctus secundo nubentem, seu aliud à priori matrimonium ineuntem. Not. autem, quasdam poenas directe impositas in odium secundæ matrimonii, intra annum luctus; quasdam vero in favorem liberorum prioris matrimonii, ut patet ex seq. sed jure canonico hæc prohibitio sublata est, & hodie non solum bigamus, & trigamus, sed etiam octogamus, quis effici potest per c. Aperiunt. 31. q. 1. ex D. Hieronymo: ibi: aperiunt, queso, aures obrectatores mei, & videant, meo secundas, & tertias nuptias concessisse in domino; qui secundas & tertias, non damnavit; primum potuit damnare matrimonium? Idem ibidem: Non damno digamos; immò nec trigamos, & si dici potest,

octogamos. Et: Ego etiam nunc libera voce proclamo, non damnari in Ecclesia digamiam, imò nec trigamiam: & ita licere quinto, & sexto, & ultra quomodo, & secundo marito nubere. Nam mulier intra annum luctus nubens, utitur concessa sibi ab Apostolo potestate; ibi: mulier suo viro mortuo, soluta est à lege viri sui, in domino nubat, cui voluerit. Nec in his seculares leges dedignantur Sacros Canones imitari c. fin. h. t. ibi: cum secundum Apostolum, mulier mortuo viro suo, ab ejus lege sit soluta, & nubendi, cui vult, tantum in domino, liberam habeat facultatem: non debet legalis infamie sustinere jacturam: qua licet post viri obitum, intra tempus luctus (scilicet unius anni spatium) nubat, concessa sibi tamen, ab Apostolo, utitur potestate, cum in his præsertim seculares leges, non dedignantur sacros Canones imitari.

ARTICULUS II.

De poenis civilibus in odium secundarum nuptiarum.

Prima poena viduæ nubentis intra **1808.** annum luctus erat infamia, quam ipso facto tum ipsa, tum vir eam accipiens incurrit. L. 1. C. de secund. nupt. junct. auth. de nuptiis. §. prima siquidem. collat. 4. secunda, ne posteriori viro possit in ultima voluntate relinquere ultra tertiam partem suorum bonorum. L. 1. C. de secundis nupt. Tertia incapacitas cujuscunque hereditatis, & legati à quocunque, præter maritum, relicta citatà L. 1. Quarta, ut omnia sibi à priori marito in ultima voluntate relicta amitteret, ut dicitur cit. L. 1. Quinta, ne consanguineis ultra tertium gradum ab intestato succedere posset; habetur cit. L. 1. sexta, ut filiis prioris matrimonii medietatem suorum bonorum